



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Lilivm Inter Spinis**

**Sterre, Jean Chrysostome van der**

**Antverpiæ, 1627**

Cap. XVIII. Creberrimis Virginis Matris apparitionibus honoratur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43032**

## CAPVT XVIII.

*Creberrimis Virginis Matris apparitionibus honoratur.*

**R**EM relaturus mirabilem, & omnibus sæculis inauditam, credulos & fideles me oportet postulare & habere lectores; ne in multitudine magnitudineque verarum virtutum (quas in seruo suo, & cum ipso, Domina & Regina virtutum operari dignata est) sibi mentiantur, si eas negauerint inimici virtutum. Apponens igitur deuotum sibi iuuenem, & suis laudibus incessanter instantem, Virgo magnificare beata; ipsi non semel aut bis, aut quoties numero possit facile comprehendere, dulcissimam præsentiam suam exhibere curauit: & tanta sibi familiaritate per creberrimas reuelationes connexuit; vt etiam inter homines quoscumque, quos charitas solet coniungere specialis, tanta vix aliquando

*Creberrime se ei visendam exhibet Sanctissima Deipara.*

ORDINIS PRAEMONST. 59  
quando potuerit familiaritas inueniri.  
In tantum enim in charitate familiari-  
tas, & in familiaritate charitas, profē-  
cerunt vtrimque, vt cunctis iuuenem  
cognoscentibus certissimum habere-  
tur, quòd noster fidelis Samuel (sic  
enim propter tam tempestiuas reuela-  
tiones non immeritò nominatur) à  
Beata Virgine non tantùm in seruum  
fidelem, sed potiùs in amicum vnami-  
nem esset, ex omnium electorum suo-  
rum numero, singulariter praelectus:  
& verè sic erat. Frequentiùs illi audi-  
uimus accidisse, quòd, cùm in vna ab-  
side Monasterij orationibus esset ac  
meditationibus occupatus, vocem  
Dominæ & amicæ charissimæ, in op-  
posita parte stantis, audiuit; & non du-  
bium, à qua vocaretur (vocem enim vo-  
cantis ex consuetudine frequētata cog-  
nouit) transiuit ad illam: & in aliquo  
secretiori loco pariter confidentes, ille  
Beatæ Matri de statu suo singula re-  
quirenti respondit; & ab ea vicissim,  
quæ-

quæcumque voluit, requisivit. Talibus deductionibus nocturnas vigilias solabatur: tali consolatrice quoscumque aduersos sustinebat euentus: talis Matris consolatorijs vberibus fouebatur: tali magistra multa dubia & incerta se instruente cognouit. Quid dicemus ad hæc? Miremur, miremur tanta mirabilia in Sancto mirabili; in ipso Dominum, & ipsum in Domino collaudantes, quem in his mirabilibus non possumus imitari. De beato & egregio Martino, Turonensi Episcopo, scribitur, legitur, creditur, & pro magno ducitur, quòd B. Virgo Maria, cum quibusdam alijs conuirginibus suis, ipsi se aliquoties curauerint reuelare, & cum ipso fuerint collocutæ. In alijs quoque Sanctorum mirabile reputatur, quòd iam glorificati, ad adspectû, colloquium, & consolationem mortalium aliquoties admittantur. Sic & in Fratre nostro mirabile; & tantò mirabilius, quòd hoc ei non aliquoties,

ORDINIS PRAEMONST. 61  
quoties, sed valdè multoties nouimus  
accidisse.

CAPVT XIX.

*Vocat eum gloriosa Deipara Capel-  
lanum suum.*

OTIOSVM non erit, si etiam que-  
dam minora, veritate & iucun-  
ditate subnixa, viri meritum, & fauo-  
rem mirabilẽ B. Virginis erga ipsum  
continentia, in medium deducamus.  
Venturus erat aliquando, necessitate  
cogente, ad quamdam Sororum Ec-  
clesiam, Regimini Ecclesiæ Steinuel-  
densis subiectam. Et ecce, beata Ma-  
ter (in alijs etiam Ecclesijs volens fa-  
miliaris sui meritum declarare) ve-  
nientem, tamquam fidelis ministra,  
& dilecto suo locum præparatura,  
præuenit; & cuidã tam religiosę Soro-  
ri, vt de eius sanctitate non debuerit  
dubitari, se cum verbis huiuscemodi  
reuelare dignata est: Venturus est ad  
locum